

## DEDICATORIA.

dum esse duco, Artibus ingenuis nobis animum imbuit, atque Alma Minervali Nectare pectus alit. Meamque mentem feram antea, vrsinamque ac ferè belluinam ab inueterata lateque pullulantibus radicibus obdurata quadam rusticitate deflexit, & aliquantulum ad meliorum morum civilitatem ( quatenus nimirum in tanto tamque radicitus planè, omnisque feritatis obducto callo fieri potuit ) ac demum ad amorem veræ pietatis & humanitatis perduxit, meumque denique animum ad perfectiorem & solidiorem omnium scientiarum ac bonarum artium cognitionem, & ad Apodicticam seu Demonstrabilem ( quâ alias omnes excedit & tanquam omnium vnica Regina ac Coryphæa multis parasangis exsuperat Germaniæ nostræ Academies ) rationis originem, fontem ac scaturiginem inflammavit, accendit, incitavit, atque à novitiorum quorundam homuncionum erroribus ac phantasmatis, quibus ad instar nutantis in vndarum fluctibus navis nunc huc modò illuc vacillabam, me prorsus ac planè auertit, adque saniolem mentem & veritatis studium pellexit pertraxitque. Et in summa, vt cum Hispanorum doctissimo loquar, ex effera atque effrena quadam belua me mitissimum ferè hominem effecit. Vel si id factum esse forsàn adhuc abnegarit aliquis ( vt ipse quidem non tantoperè ire possim inficias ) nil minùs tamen spes certa ac optima facta mihi est, illud successu temporis se omninò præstituram effectumque daturam, vt homo adhuc imperfectus in perfectissimum, inque humanissimum animal aliquando sim euasurus. Quæ sanè toti reipublicæ literariæ non ingrata Methamorphosis seu transmutatio erit futura, mihi que verò maximè profutura. Hæc omnia, viri amplissimi, Domini que Scholarchæ ac Mecænates optimi atque clementissimi, cum gratâ mente mecum aliquoties, ac nuper solito aliquantò altiùs ruminassem, dici vix potest, quanta me cœperat pœnitudo, quantoque suffusus sum pudore, tot ac tanta tamque innumera à celeberrimâ vestra Academiâ me accepisse beneficia, & quàm arctè ob id honestissimæ huic matronæ sim deuinctus atque obligatus, indeque ilicò de aliquo iustè ac debitæ remunerationis genere, gratique animi pro posse meo edendâ significatione cogitare meditari que cœpi, quauè ratione id aliquo modo compensarem, quamque meritam ob id ac debitam vobis gratiam aliquando repèdam, mecum deliberaui. Idque nulla meliore ratione ac viâ fieri posse ratus, quàm si subtilissimæ eius ac rarissimæ, imò toti iam terrarum orbi planè abstrusæ atque reconditæ doctrinæ, quam in Celeberrima vestra Academia elapsa iam hyeme priuatim professus sum, & in quâ doctissimos quosdam Iuuenes & Magistros pro virili meo erudiui, aliquam scintillulam in lucem edam. Quæ quidem editio vestræ Academiæ studiosos alioquin doctissimos, inque omni doctrinarum genere excellentissimos & exercitatissimos, etiam ad diuinarum prorsus ac sublimiorum subti-